



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

2. Gregorij II. Pontificis Max. Bulla data Indictione XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

milia à fidelibus illo contraditum dandi & vendendi, antequam Dei defruantur seruitia, & vt istius cartulæ confirmatio firma in æuum permaneat, describi eam præcepi, & nostro sigillo eam inde firmaui. Datum pridie Nonas Aprilis, Anno regni nostri XII. Moguntia felicitèr. Amen.

Signum
cellarius ad
cognoui.



Dagoberti Regis. Henricus Can-
vicem Ricolfi Archicapilani re-



2.

*Gregorij II. Pontificis Max. Bulla Data In-
dictione XII.*

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Basino Abbati Venerabili Monasterij Sancti Ioannis Apostoli & Euangelistæ, atque Sanctissimi Confessoris Christi Maximini, cuius corpus ibidem quiescit, tibi, tuisque Successoribus salutem & Apostolicam benedictionem. Si semper sunt concedenda, quæ piis desideriis congruunt, tanto propensius ea, quæ pro diuini cultus religione postulantur, alacri deuotione, & omni occasione remota, beneuolâ intentione continuò sunt largienda. Petisti igitur nos, vt Monasterio tuo, quod in suburbio Treuironum in honorem Sancti Ioannis Euangelistæ constructum esse dinoscitur, vbi prænominatus Christi Confessor quiescit, ob confirmandum Fratribus ibidem Deo seruientibus monasticæ tran-

quilli-

quillitatis normam, Sanctæ Apostolicæ nostræ, cui auctore Deo defuimus, Ecclesiæ Priuilegium concederemus, nosque piæ petitioni tuæ assensum accommodare curauimus, decernentes Apostolicæ autoritatis præcepto, vt congregatio Deo ibi religiosè seruiens, sicut per præcedentia à Regibus eidem Cœnobio concessum est, liberam deinceps habeant creandi inter se, quem secundum Deum elegerint, sibi Abbatem, nec aliqua cuiuslibet dignitatis persona infra Monasterium prædictum, nisi à te, aliove Abbate tuo successore vocatus, quicquam pro suo libitu ordinare vel temere exercere præsumat. Præterea Apostolicâ nostrâ autoritate omnimodis interdiciamus, ne cui vnquam Ecclesiæ vel sedi, concambio aut aliquo ingenio subdatur, sed tali immunitate & libertate, quali regalia loca vtuntur, inoffensè & perpetualiter gaudeat. Ipse vero locus Monasterij sub Mundiburdio Regum vt permaneat, nullique vnquã personæ beneficiarius aut inuadendus pateat, sed ad tranquillitatem Monachorum ibi sub regula Sancti Benedicti Deo militantium quietus permaneat. Constituimus etiam, & hac paternâ dilectione tibi, tuisque successoribus concedimus, vt ad mysteria sacra in præcipuis festiuitatibus mitrâ, dalmaticâ, sandalijs vtaris, fraternitatem tuam commonentes, vt cum augmento honoris, augeatur etiam in te diuini virtus amoris. Prohibemus etiam, vt ex autoritate beati Petri, cuius vices, licet indigni in hac Apostolica sede fungimur, & funditus interdiciamus, vt nullus Dux, nullus Comes, nulla prorsus persona Ecclesiastica, siue mundana, in possessione vel allodio Sancti Maximini montem siue rupem capere, vel munitionem aliquam in eis facere præsumat, nisi fortè Abbas eiusdem Monasterij propter metum paganorum, vel propter incurSIONem malignorum hominum ad tempus, donec tranquillitas pacis redeat, se suosque interim munit. Ad cumulum quoque vel augmentum monasticæ tranquillitatis adijcimus, ne qua cuiuslibet dignitatis persona, magnum vel minimum alienare vel imminuere de rebus Ecclesiæ præsumat, tam de his, quæ per te modo, vel per alios eidem Monasterio concessa sunt, quam ex his, quæ cæteri fideles pro remedio animarum suarum collaturi sunt. Si quis verò, quod absit, ausu nefario præsumpserit ea, quæ à nobis ad laudem Dei, pro stabilitate iam dicti Venerabilis Monasterij statuta sunt, infringere, aut in quodam violare: sciat se sub diuini iudicij testificatione per interuentum Beati Petri Apostoli anathematis vinculo inextricabiliter innotatum, & à regno alienandum, & cum diabolo & eius sequacibus atrocissimis pœnis concremandum. Qui vero pio intuitu, & respectu diuini timoris obseruator huius nostræ præceptionis Apostolicæ extiterit, æternæ benedictionis gratiam à Christo Domino consequi mereatur. Scriptum per manum Benedicti Scriniarij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Mense Ianuario Indictione XII.

3

*Pipini Regis Diploma Dat. Moguntia, Anno XIV.
Regni eius.*

Domino & Salvatore nostro vitam æternam in Euangelio promittente plena & integra fide sine dubio credimus nobis in futuro sæculo recompensari, si stabilitatem & quietem Monasteriorum confirmamus, ac res